

na apud populum Roma. memoria. <sup>a</sup> credebaturque si rerum potitus foret, libertatem redditurus. vnde <sup>b</sup> in Germanicum fauor, & spes eadem. <sup>c</sup> Nam iuueni ciuile ingenium, mira comitas, & diuersa à Tyberii fermone, vultu, adrogantibus & obscuris. Accedebant muliebres offensiones, nouercalibus Liuia in Agrippinam stimulis, atque ipsa Agrippina paulò commotior, nisi quod <sup>d</sup> castitate, & mariti amore, quamuis indomitum animum in bonum vertebat. Sed Germanicus <sup>e</sup> quantò summę spei propior, tantò impensius pro Tyberio niti: Sequanos proximos, & Belgarum ciuitates in <sup>f</sup> verba eius adigit. Dehinc audito <sup>g</sup> legionum tumultu, <sup>h</sup> raptim profectus, obuias extra castra habuit, <sup>i</sup> deiectis in terram oculis, velut pœnitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri cœpere. & quidam prehensa manu eius per speciẽ exosculandi inferunt digitos, vt vacua dentibus ora contingeret. alii curuata senio membra ostendebãt. Adstantem concionem, quia permista videbatur, <sup>i</sup> discedere in manipulos iubet: sic meliùs audituros responsum: vexilla præferri, vt id saltem discerneret cohortes. tardè obtemperauere. Tunc

## OBSERVATIONES.

a Non maiori est odio cinibus is, qui libertatem ipsis eripit, quàm charus & gratus is, qui eam Reip. reddit.

b Fauor patris plerunque filios etiam complectitur. Siquidem spes est, non modò opum, potentie, ac dignitatis, verùm etiam paternæ virtutis hereditatem ad filios esse peruenturam.

c Difficile memoratu est, quàm orata sit in Vultus comitas principis, eiusque ciuile ingenium; & contra, quantò omnibus sit odio sermo, & vultus ipsius arrogans, & obscurus. Hinc itaque obseruandum est, eum, qui principi hominibus parum orato proximus est, speratq; se principem locum obtinere posse, ita se debere componere, vt, quæ propter vitia ille merito cuius odio est, his summo studio declinatis, impleat pectus suum iis virtutibus, quæ illius vitiiis planè aduersantur. nempe, si ille est auarus, hic sit liberalis; si propter crudelitatem male audit, hic clementiam exerceat. id quod simulac videtur populus, qui solet esse acris animaduersor, & scrutator morum principis, quò magis illum odit, hoc magis hunc fouebit, coler, amabit; deque eius incolumitate, salute, ac dignitate sollicitus erit.

d In mulieribus amor mariti parit castitatem; hæc autem cætera vitia obtegit; efficitque, vt quamuis illæ habeant animum indomitum, eum tamen in bonum vertant.

e Hæc est natura viri præstantissimi, vt, quò propior summæ spei est, tantò impensius pro eo, peres quem sunt gubernacula reip. nitatur.

f Adigere populos, & ciuitates in sua verba, dubio adhuc verum statu, omnino debet princeps. hoc autem nihil est aliud, quàm quod hodie dicitur, facere homagium.

g Simulatque ad imperatorem perlatum est, tumultum esse in castris, militumque seditione seu uice, si inde abest, nequaquam cunctari, sed eò raptim proficisci debet, vt sua præsentia militem ad sanitatem reuocare, rebus que perturbatis, & afflictis consulere possit.

h Vix fieri potest, vt non eum, qui se grauiter peccasse, pœnamque commertum esse intelligit, etsi indice, aut principe ipso valentior est, pudeat scelerum: idque adeò, vt non audeat eos, quibuscum ipsi res est, porrecta fronte alloqui; sed deiectis in terram oculis contumacè pœnitentiam declaret.

i Ad maiestatem, & dignitatem imperatoris, atque adeò ad militarem disciplinam maximè pertinet, exercitum non confusum, ac permixtum, sed suis ordinibus, cohortibus, manipulis, vexillis distinctum alloqui.